




§. I.

**F**ebbris illa, quae alternis vicibus accedit, receditque, nullo sui relicto ad sensum a discessu vestigio, intermittens nomine vocatur. Facile itaque a continuis, intervallo isto, quo aegrotantes a febre liberi sunt, quodque a medicis apyrexia appellatur, distingui potest. Praeterea singulos febrium intermittentium paroxysmos frigus antecedit, quod in aliis morbis acutis non ita observatur,

§. II.


Variae earum, experientia teste, dantur species. Omnem varietatem definiunt, *periodus*, quo regrediuntur; *Anni tempus*; *mensura* durantis cum accessionis, tum integritatis; *complicatio typorum*; *extensio morbi* in corpore aegro, dum aut vniuersum, aut partem eius in accessione affligit; *habitus*, dum scilicet vel confuetis



suetis sibi symptomatibus comparet, vel sub habitu morbi alius febris se insinuat; *indoles* febris, aut mitis utcumque aut maligna; *causae* easdem in dato aegri corpore producentes. Hinc in vernaes & autumnales, quotidianas, tertianas, quartanas, quintanas, sextanas, septimanas, menstruas, trimestres vel annuas, simplices harum quasdam vel duplicatas, complicatas, exquisitas vel extensas, subintrantes, benignas vel malignas, larvatas &c. diuiduntur.


### §. III.

Februm autem intermittentium decursus in genere ut plurimum sic se habet. Vnusquisque paroxysmus tria stadia absoluit, frigoris nempe, caloris & sudoris, quocum finitur accessio, apyrexia tunc succedente. Frigori ut primo stadio praecedunt pandiculatio, oscitatio, lassitudo, tensionis sensus in nuca atque spina dorsi. Quandoque nausea, vomitusque adest. Tunc horror sequitur, aegri in naso ac dorso frigus sentiunt versus caput tendens; maxilla inferior ad superiorem alternatim adducitur & abducitur, dentes hinc alliduntur, interdum tanta cum vehementia, ut in quartanario sene illos cecidisse visum fuerit. Respiratio difficilis, anxietas, pulsus parvus, frequens, spasticus, subinde intermittens, cutis anserina fere insensibilis adsunt; externa pallent; plerumque in toto corpore, quandoque etiam in quibusdam partibus, brachio, capite, alget aegrotus; vrina cruda est & tenuis



nuis &c. Hoc stadium non vltra duas horas extenditur, saepius vna absolutum. Quo maiora pluraque in eo accedunt symptomata, eo grauior ac periculosior est ille status paroxysmi. Si ad summum peruenit, spasmusque periphericus perpetuo intenditur, sanguis omnis in pulmones ac versus cor coactus exitum nesciens, hominem suffocat, quique in genere in febribus intermittentibus fato perfunguntur, in stadio frigoris pereunt. Sanguis inde in cadaueribus, pulmonibus impactus repertus est. Quodsi vero spasmus soluitur, sanguinique libera via conceditur, tunc contraria fiunt; aeger sensim sensimque incalescit, rubescit, respiratio fit leuior, liberior, pulsus maior, plenior, mollior, anxietas minuitur. Mox autem calor increfcens noua incommoda parit, quae eo grauiora sunt, quo intensior est ille. Lingua fit arida, sitis torquet, dolent artus & caput; quandoque delirium oritur. Vrina plerumque rubra est. Aestus siue secundum intermittentis stadium raro eudem cum frigore gradum seruat. Adeo vehemens in quibusdam casibus obseruatus est, vt pulsus 130. in vna minutia numerati fuerint. Semper vero oborto calore aegroti vitae in vado est, ipsumque morbi impetui superesse certus esse potest, exceptis Minorcae insulae incolis, quos tempore caloris e vita discedere obseruationes quaedam testantur. Decrescente calore non vltra sex horas plerumque durante, per vasa cutanea nunc relaxata sudor erumpit, cum remissione omnium symptomatum.

Si




Si bene ille procedit, lenior obseruatur futurus paroxysmus. Quodsi contra ea iste refrigeratione supprimitur, sequens paroxysmus maiori vehementia affligit aegrum. Vrina tunc crassa mingitur, ac sedimentum lateritium deponit. Sudorem somnus & apyrexia excipiunt, in qua, si lassitudinem, post singulum paroxysmum incrementem, luteumque corporis colorem exceperis, aeger bene se habet, pulsusque naturalis est, vel ad illum proxime accedit.

§. IV.

Quibus praemissis facile est intellectu primum illud stadium frigoris nempe, fontem, solamque causam omnium symptomatum in febribus intermittentibus occurrentium esse, indeque recte BOERHAAVIUM asserere, quod, qui primum tempus in morbis hisce superare possit, totum paroxysmum tollat. Frigus autem nil nisi spasmus, tam externae, quam internae corporis peripheriae esse, symptomata eius antea enumerata, inprimis pororum cutaneorum occlusio, corporis pallor, cutis insensibilitas, respiratio difficilis, pulsus durus &c. probant. Spasmo igitur hoc durante sanguis ab externis partibus versus interiora ruit, ac praecipue cor replet, quod itaque vt se a nimia ista humorum copia vindicet, omnes vires impendit, in repellendis istis versus exteriora, tuncque secundum stadium caloris inchoat, reliquique antea memorati effectus succedunt.

§. V.



§. V.


Eodem modo intelligitur vrinam lateritiam atque sudorem beneficorum quidem naturae moliminum effectus esse, quibus in fine singulorum paroxysmorum materiam peccantem, causamque febrium intermittantium materialem eliminare tentat. Cum autem paroxysmi in hisce febribus statim ac determinato tempore iterum redeant, patet inde, euacuationes hasce criticas vices perfectarum crifium haud explere, sed imperfecte quamdam eius solummodo copiam expellere, ideoque repetitis eiectionibus in paroxysmis futuris opus esse, quibus fomes malorum tolli debet.

§. VI.

Febres intermittentes, licet a continuis modo supra recensito, differant, quamdam tamen cum illis similitudinem alunt, incrementi nempe, status, & decrementi, frigoris, caloris & crifis, non in singulis solum paroxysmis, sed in toto decursu, communio est inter illos, indeque a quibusdam vt paruae febres continuae considerantur: SYDENHAMVS etiam bene statuit, febres intermittentes id partitis vicibus efficere, quod continuae non interrupto motu febrili praestarent.

§. VII.

Causae, a quibus febris intermittens in corpore humano progignitur, sunt vel constitutio epidemica aeris, vel endemica loci, vel sporadica denique homi-  
B nis,




nis, atque ita febris intermittens est epidemica, endemica, sporadica. Inde regiones humidae ortui febrium intermittentium praecipue fauent, istaeque regnante tempestate humida late grassantur. Bilis porro in primis viis obuia, nec non pituita in illis ac visceribus abdominalibus stagnans, foecunda harum febrium genitrix est. Ex priore tertianae, ex posteriori autem quotidianae & quartanae imprimis trahunt originem. Alia ratione etiam hi morbi ex sudore suppresso, exanthematibus retropulsis, ingluvie, victu duro & glutinoso, animi pathematibus, nec non ex quorundam sententia per contagium generari possunt. Cum autem causae procatharticae solae morbo producendo non sufficiant, sed in concursu causarum proegumenarum solummodo efficaces sunt, iisdem legibus febrium intermittentium prouentum quoque adstrictum esse, quilibet concedet. Quae sit autem causae proegumenaе intermittentiū sedes? an in solidis, vel fluidis, vel in utroque habitet? an rationem periodorum in febribus hisce in se sola vel in concursu cum procathartica contineat? quomodo differant causae proegumenaе diuersarum febrium intermittentium? omnes hae quaestiones aenigmata sunt, quae hactenus nondum penitus soluta sunt.

#### §. VIII.

Neruosum systema in febribus intermittentibus affici nullus dubitabit, qui frigoris symptomata bene perpendit. Idem probant animi commotiones, quae


to-



toties iam intermittentibus ortum praebuerunt, profligatasque iterum reuocarunt. Si denique, omissis aliis rationibus, animo versamus, quod pessimi morbi neruosi, saepius superueniente febre intermittente fauentur, ac vice versa iidem febres intermittentes curent; quod, licet optimis remediis causae procatharticae sublatae fuerint, saepius febres istae intermittentes tolli nequeant, nisi character ille febrilis deleatur, tunc certissime nil obstat, ne causam istam proegumentam neruis inhaerere contendamus.


## §. IX.

Quare autem febres intermittentes partitis vicibus cursum suum absoluunt? cur periodice & quidem stato tempore recurrunt? vt e.g. tertiana tertio, quartana quarto die reuertatur, hoc iam olim medicorum torfit ingenia, & adhuc sub iudice lis est. Plurimi credunt, quod per sudorem materia peccans, quoad maximam partem eliminetur, ita, vt illo finito nimis parca quantitate adsit, quam vt accessio continuari possit; exigua autem haec quantitas, dum postea sanos adhuc humores in suam indolem conuertit, iterum augetur, denuoque ea copia accumulatur, quae nouo paroxysmo producendo par sit. Alii autem regressum periodicum febrium intermittantium obiciunt, quorum causa materialis per congrua medicamenta destructa ac euacuata fuit, ac solum characterem neruis impressum, hic motus febriles excitasse credunt.



Sic obseruatum fuit febres intermittentes quandoque postquam prior febris iam dudum profligata fuit, post aliquot septimanas, quin menses leuissima praecedente causa occasionali, praecipue refrigerio, reuocatas fuisse. Longo itaque tempore character antea memoratus neruis inhaeret, & verisimillimum est, illius vires cum febrium intermittentium duratione augeri, vt itaque a causa minima materiali saepius vix sensibus percipienda irritatus, impetum agere febrimque excitare denuo possit. Characterem autem istum in debilitate systematis neruosi consistere, medicamenta ipsum delentia, roborantia nempe suadent. Quae cum ita se habeant, a veritate procul aberrare isti mihi videntur, qui sine materiali causa febrim intermittentem oriri, vi solius istius characteris asseuerant. Nam dictum modo fuit, causas materiales, paroxysmos in concursu characteris producentes subtilissimas esse posse, atque experientia edocet, aegrotos illos, qui ab aliqua febre intermittente liberati fuere, non semper periculo noui impetus obnoxios esse, licet character nondum penitus extinctus fuerit, si modo causas occasionales sedulo fugiant, ac seuero regimini diaetetico se adstringant. Crises quoque in intermittibus contingentes, contagium, quod obseruationum quarundam testimonio spargunt, nec non morbi ex praematura suppressa febre intermittente producti, affinitasque illarum cum aliis morbis periodicis ex materiali causa excitatis, asserti huius veritatem euincunt. §. X.






## §. X.

Effectus febrium intermittentium, sunt vel salutare vel noxii. Salutaribus recte annumeramus resolutionem obstructionum, praecipue in visceribus abdominalibus, atque sanationem pertinacissimorum morborum ex hoc fonte ortum trahentium, vti epilepsiae, maniae, melancholiae, paralyfis, &c. Perniciosi autem earum effectus sunt, solidorum laxitas atque debilitas, fluidorum spissitudo, acrimonia, quaeque his originem debent mala, obstructiones viscerum, hydrops, leucophlegmatia, abscessus purulenti &c.

## §. XI.


Metastases etiam, quae in febribus intermittentes subinde obseruantur, annotari merentur. Interdum fit, vt per prauam methodum medendi, praecipue calefacientium vsum, aut per animi affectus, materia febrilis ex loco, quem prius occupauit, ad alium siue externum, siue internum transferatur, aut ex aliorum opinione<sup>1</sup>, BRENDÉLIO praeceunte, licet locum primum non derelinquat, per consensum sine materia ex isto in alias partes agat, argumento exinde ducto, quod saepius in illis partibus, quae metastasi sic dicta laborant, ne vestigium quidem materiae cuiusdam morbosae in cadaueribus repertum fuerit. Facile perspicitur, metastases has maxime exitiosas euadere, si materia febrilis ad partem quandam nobilem deferatur, cuius rei febres sic dictae laruatae, de



quibus mox agetur, luculentum nobis testimonium praebent. Periculum autem minuitur, & salutare esse possunt, si ad externas partes, cutim praecipue translatio fomitis morbi contingit. Varias hinc observantur metastases, vel per materiam vel sine illa productae. Febres iam antea memoratae larvatae, tympanitis, gangraena & sphacelus, haemorrhoides, tumores cystici, purulenti, huius profapiae mala sunt.

#### §. XII.

Enarratis nunc hisce, quae ad febres intermittentes generatim spectant, quasdam earum species breviter disquirere, omissisque illis, quae istis cum febribus intermittibus in genere communia sunt, differentiam earum ab aliis solummodo perpendere liceat. Quas inter, ordine sic iubente quotidiana primum consideranda venit. Quotidiana appellatur, quia quotidie recurrit. Rarissimis morbis a medicis annumeratur, indeque Cel. SENAC istam ex numero intermittendum excludendam esse censet. Quodsi reuera adest, matutinis horis aegrotum corripit, nec ultra sex vel septem horas eius paroxysmi durant. Frigus ac calor lenes sunt. Quidam sudorem largum, alii parciolem succedere autumant, quandoque etiam diarrhoea cum illa iungitur. Epidemice ut plurimum & quidem tempestate humida, autumno vel hieme grassatur. Corpora debilia, laxa, eamque ob rationem infantes aggreditur, hinc pituita quoque, utpote causa eius a ple-




plerisque agnoscitur. A decima quarta accessione plerumque finitur. Apyrexia tunc succedit, ac sequenti die stato tempore paroxysmus renouatur.

§. XIII.

Quodsi febris intermittens tertio quoque die regreditur, tertiana vocatur, frequentissima intermittentium species. Symptomata febrilia magna cum vehementia hic obseruantur. Medium quasi tenent inter acutos chronicosue morbos, nec raro, si reduplicatur in acutos abit. Plethorica, cholericaque subiecta huic maxime obnoxia sunt. Causa, qua febris ista progignitur, praecipue bilis est. Plerumque non ultra duodecim horas durat, & tunc *exquisitae* nomine insignitur. Septimus vel nonus paroxysmus critici sunt. Singularis saepe crisis in hac febre occurrit, efflorescentia nempe circa nares vel os, qua penitus erupta febris euanescit. Aliis intermittentibus etiam facilius reduplicatur.

§. XIV.


Quartana febris, in qua alter paroxysmus in quartum diem ab initio prioris incidit, scandalum olim medicorum, ob curationis diurnitatem & difficultatem appellabatur, nec dissimulandum est, eam adhuc hodie vires optimorum febrifugorum quandoque eludere. Saepissime ex obstructionibus viscerum, ex pituita in primis viis stagnante, ac relaxatione summa corporis originem trahit. Eam ob rationem corpora,  
curis,



curis, moestitia, aliisque debilitantibus causis, praecipue aliarum febrium intermittentium diuturnitate eneruata, aggreditur. Senes praecipue hac corripuntur. Tardius ob vim vitalem languescens, roburque partium deiectum, cursum suum absolvit, & longe serius finitur, quam reliquae iam consideratae species. Hinc haud raro in morbos chronicos, febresque lentas illas transmutari observationibus innumeris confirmatur. Autumno praecipue, a caelo humido tam progenita, quam nutrita, regnat. Lepra aut elephantiasi affectos raroprehendit. Grauidae quartanae laborantes, saepius ab illa non nisi post partum liberantur; interdum etiam si viuum pariant prolem, haec cum quartana in lucem venit. Typum suum strenue servat, nec adeo facile in illa anticipationes observantur, ut in aliis intermittibus. Ut plurimum per sudorem iudicatur, quandoque peculiari crisi furunculo nempe in buccis enato, aut etiam diarrhoea superueniente finitur. Facilius quoque aliis intermittibus reciduat, licet recidivae non adeo pertinaces observentur, ac prior morbus. Saepius quidem nimis protracta morbos chronicos, hydropes imprimis gignit; attamen salutare ipsi effectus prorsus non denegandi sunt, utpote quae pertinacissimos quoque morbos, melancholiam, epilepsiam podagramque sanavit.

§. XV.


Quintanae quae quinto, sextanae quae sexto, septima-



ptimanae quae septimo quoque die recurrunt &c., adhuc intermittentium classi adnumerari solent. Rarissimas autem illas esse, observationes testantur. Quintana omnium pessima esse dicitur. Bis vero eam ope corticis peruiani curauit WERLHOFIVS.

§. XVI.


Hac facie si febres intermittentes decurrunt, simplices vocantur. Nothae audiunt, si consuetum decursus tempus paroxysmi excedunt; extensae vero siue productae, si in talem diurnitatem excurrunt, ut liberum a febre interuallum superent. Frequenter etiam duplicantur, raro triplices obseruantur. Quotidiana duplex est, si aegrotus intra XXIV. horarum spatium duobus paroxysmis vexatur, dumque in eo statu apyrexia breuissima est, hinc facile illa in acutas febres abit. Omnes autem inter febres intermittentes tertianae maxime reduplicantur. In his singulis diebus accessio fit, quandoque etiam vno die duo paroxysmi obseruantur, alteroque die aegrotus a febre liber est. Paroxysmi quoque sibi alternatim respondent, ut e. g. is, qui primo die aegrotum corripit, quoad vehementiam & durationem, illi qui tertio die occurrit, similis fit, & sic secundus quarto, tertius sexto & sic porro. Non eodem vigore etiam in duplicatis tertianis omnes paroxysmi decurrunt. Vnus enim est plerumque vehementior, alter lenior. Quando paroxysmi adeo protrahuntur, ut vix apyrexia



xia obseruetur, illique facile tunc speciem continuaram praebeant, licet frigore, quocum incipiunt, ab illis adhuc distingui possint, febrium subintrantium nomine insigniuntur. Vti febres quotidianae & tertianae, quartanis magis anticipationibus obnoxiae sunt, ita haec anticipatio praecipue in duplicatis obseruatur. Tertiana triplex a priori eo distinguitur, quod vno die duo paroxysmi adsint, sequenti autem solummodo vnus occurrat. Hac deferuescente ordo quidam obseruatur, primo enim duplicata & tunc simplex fit, Idem quoque in duplicata euenit, quae antequam tollatur, prius naturam simplicis induit. Quartanae febres eodem modo se habent, licet duplicatio vel triplicatio rarius in istis locum habeant. In quartana duplicata primo & secundo die febris adest, tertio a febre liber inuenitur aegrotus, in triplicata paroxysmus quotidie regreditur.


§. XVII.

Iam descriptioni earum febrium nos accingimus, quibus illustrandis, prae aliis medicis, Ill. WERLHOFFIVM egregiam operam nauasse inter omnes constat. Quandoque enim talia symptomata eminent, quae a decursu consueto intermittentium maxime aliena sunt, quaeque naturam intermittentis febris praeprimis celant, licet haec sub illis lateat. Sic cardialgiae, diarrhoeae, dissenteriae, tusses &c., sub febrium intermittentium typo occurrunt. ROSEN ab ROSENSTEIN periodicam talem haemorrhagiam narium obseruauit, speci-



specifico febrifugo sanata. Sic sub ophthalmiae larua, stato tempore recurrentis febres intermittentes obseruantur, & tunc laruarum nomen induunt. Interdum etiam sub affectionibus soporosis, epilepticis, hemiplecticis, & apoplecticis febris intermittens delitescit, & cum his symptomatibus vis naturae vitalis mirum in modum supprimatur, ideo istis morbis malignarum laruarum nomen a medicis impositum fuit. Si febris autem adhuc eodem vigore eademque proportione, ac symptomata alienum adest complicata vocatur. Laruarum malignarum symptomata non ab initio febris adsunt, sed plerumque tertiae accessioni adiunguntur, & nisi omnibus artis adminiculis, vltiori huic progressui limites ponas, tertia vice ingruentia aegrotum plerumque occidunt. Vel ex epidemica ignota causa, vel ex animi pathematibus, vel saepius ex mala medendi methodo nascuntur. Sic WERLHOFIVS obseruauit foeminam quamdam febrī simplici intermittente affectam, purgante quodam tempore apyrexiae adhibito, febre soporosa exinde suborta animam efflasse. Dignoscuntur laruae typo, quem seruant, spontanea cessatione & regressu stato tempore symptomatum, vrina denique lateritia, qua praecipue intermittentium genium produunt. Ipsi mihi Bonnae degenti talem febrem laruatam obseruare contigit, quam breuiter hic describere animus est.

Anno MDCCLXXIX. eo tempore, quo dysenteria Bonnae late saeuiebat, ad aegram octoginta sex anno-



rum in monasterio virginum viuentem vocatus fui, illamque summe debilem obseruavi. Adstantes narabant; in praeterlapsa nocte illam dysenteria correptam, saepius tunc euacuationibus aluinis, multis doloribus ac tenesmo vexatam fuisse, ita vt illam morituram esse credidissent, symptomata autem nunc quodammodo mitiora fieri. Tenesmus cruentus aderat, illi dysentericorum similis. Cum linguam impuram detegerem, aegrotansque de sapore ingrato conquereretur, conatus etiam vomendi adessent, mox ipecacuanham praescripsi. Sequenti die percepi, aegrotam multas sordes, praecipue bilem euomuisse, indeque multum subleuatam esse; durante nocte autem supra recensita mala regressa fuisse, nunc iterum quodammodo mitigata. Aegrotam summe debilis, eiusque loquela naturalis obscura, vt nihil ex ipsius sermone comperiri potuerim. Tertio autem die conuictus aegrotam a discessu meo iterum refectam fuisse, in nocte sequenti autem, eadem symptomata, illis praecedentium noctium perfecte similia, denuo ingruisse, de periodica febre intermittente, sub hoc morbo latente cogitare coepi, illamque eodem modo, quo aliae febres larvatae sanantur, profligare ausus fui. Collectis itaque viribus aegrotanti corticem dedi, eo cum effectu, vt omnia symptomata cessarent, appetitus rediret, illaque huc usque sana vixerit. Plures adhuc casus de intermittibus sub cephalalgis, exanthematibus, cardialgiis delitescantibus, in praxi mea mihi obuios hic enumerare



rare possem, cum autem tempus huic qualicumque specimini conscribendo concessum non ultra praescriptos limites excedere permittat, id solummodo intactum relinquere nequeo, quod paroxysmi harum febrium quotidie redierint, quodque minori cum difficultate ac citius quam regulares sanatae fuerint.

§. XVIII.

Quod ad prognosin febrium intermittentium atinet, fatendum est, eas quandoque salutares effectus prodidisse, periculi autem expertes non esse, itidem experientia confirmavit. In genere notandum est, quod febres intermittentes eo facilius recidivas forment, quo diutius durauerint. Quotidiana intermittens, ut quidam contendunt, est pertinax ac diuturna, atque in graues morbos alios, soporem apoplecticum, hecticam febrem ac hydropem procliuis. Tertianae breuissima febrium intermittentium, faciliorem sanationem quam quartana admittit; hanc enim per plurimum annorum interuallum durasse, observationes testantur. Vernales febres asserente SYDENHAMO facilius profligare possunt ac autumnales. Eodem modo in tempestate humida, tam vernales, quam praecipue autumnales, in longum tempus excurrunt. Quartanae autumnales cum obstructionibus viscerum abdominalium coniunctae, pertinacissimae sunt. Paroxysmos anticipantes breuitatem morbi promittere, retardantes autem contrariam conditionem prodere quidam autumant. Fa-



cile autem anticipantes tertianae duplicatae in continuas abeunt, imprimis, si paroxysmi leni cum frigore multo autem cum calore ingruunt. Febris quartana plerumque retardantibus paroxysmis enotata si multo cum frigore paucoque calore aggreditur, ad naturam morborum lentorum, qui sanatu difficiles sunt, proxime accedit. Non semper itaque ista, vti veteres aliique crediderunt, periculo caret, licet iuniores, si feliciter superatur, ad longaeuitatem disponere, & proceritatem iuuenili corpori conciliare, a multis credatur. E reduplicata febre si fiat simplex bonum est. Si paroxysmus post exhibitum certicem vehementior fit, febrim breui finiri quidam credunt. Febris intermittens sudore, vomitu spontaneo, alui fluxu, haemorrhagiis, metastasi quoque varia, praecipue ad externas partes critice soluitur. Efflorescentiae autem circa os & nares, ab intio, ROSENSTEINIO docente, malae, circa finem morbi bonae iudicantur.

§. XIX.

Curatio febrium intermittentium tam tempore paroxysmi, quam illo finito, considerari potest. Differunt opiniones auctorum in eo, quid durante paroxysmo faciendum sit. Quidam in frigore laxanda solida spastica constricta, coagulumque resoluendum esse censent, & hic potissimum laudant decoctum III. de HAEN ex radice graminis, taraxaci, oxymelle simplici & sale polychresto compositum. Tepidum praeterea, nec adeo copiosum potum admittunt, frigidum damnant.

Sed



Sed si perpendimus, in frigore febrili non solum externae sed internae quoque peripheriae vasa spastice coarctata esse, indeque nil liquidi a vasis resorbentibus ventriculi & intestinorum eo tempore hauriri posse, illis adstipulamur, qui ab omni potu & medicamentis abstinendum esse, & siti fortasse ob ariditatem partium vrgente acidis fructibus saccharo mixtis aegrotantem reficiendum esse suadent. In calore autem subsequente potus certissime conducit, quippe quum vehiculum subministrat, quo materia febrilis in sudore accedente melius euehi possit. Sudor itaque diluentibus promouendus, non autem nimium stragulis, remediisque augendus est, cum alias vtiles humores cum noxiis excernantur, aegrotique mire debilitentur.


§. XX.

Sudore finito eo nunc est respiciendum, vt causa febris tollatur. Quem in finem duplici indicationi satisfacere bonum medicum oportet, vni, vt causa materialis euacuetur, alteri vt character iste febrilis antea memoratus, materiali causa eliminata adhuc persistens, febrimque excitans deleatur. Sudore etiam cessante indusium aegroti cum alio calefacto mutandum est, ne materia peccans excreta, iterum resorbeat.


§. XXI.

Euacuatio causae materialis diuerso modo institui potest, & quidem vel per vomitoria vel purgantia.

Vo-




Vomitoria in plerisque casibus, purgantibus facile pal-  
 lam praeripiunt. Materia peccans ut plurimum in  
 ventriculo haeret, inde nausea, vel vomitus sponta-  
 nei saepius in aegrotis obseruantur. Caue autem, ne  
 tibi & aegrotanti imponas, & vomitorium, si nausea  
 in frigore febrili vrgeat, indicatum esse censeas. Vo-  
 mitus hicce spasticus est motus ab vniuersali isto in  
 frigore obtinente spasmio exortus, qui illo finito ces-  
 sat. Nec in calore quoque nec in sudore propinan-  
 dum est, sed optimorum medicorum consensu, sola in  
 apyrexia admitti potest. In genere hoc notandum  
 erit, materiam peccantem quandoque mobilem esse, &  
 tunc sine omni praeparatione vomitoria adhiberi pos-  
 sunt. Interdum autem contrarium obtinet, & mate-  
 ria mobilitate ista caret, cum qua per euacuans feli-  
 citer & sine molestia expelli possit. Diuersae hae con-  
 ditiones probe a medico distinguendae sunt. In po-  
 steriori enim, materiae immobilis, vomitorio exhiben-  
 do praecedere debet praeparatio. Absolvitur haec per  
 salia media, praecipue per sal ammoniacum. Praescri-  
 bitur itaque hoc remedium in prima apyrexia, eoque  
 materia plerumque ita resoluitur, ut secundo paroxy-  
 smo deferuescente, vomitorium iam propinari possit.  
 Vomitoria tam diu, si indicationes adsunt, adhiben-  
 tur, vsque dum materia peccans penitus euacuata vi-  
 deatur. Quandoque tertia accedente apyrexia ita com-  
 parata sunt omnia, ut nunc specifica sine periculo usur-  
 pari possint. In eo tamen dissentiunt auctores, an vo-  
 mi-



mitoria, ánte paroxysmum futurum, vel mox illo finito dari debeant? Qui priori sententiae subscribunt, ea adferunt argumenta, inde ducta, quod materia tunc magna in copia adsit, quam si feliciter expellas, paroxysmus subsequens vel penitus auerteretur vel saltem minueretur; per sudorem autem istam maxime ex parte critica eliminari, hincque illo finito illius nimis exiguam quantitatem non ulteriolem excretionem requirere autumant. Quodsi autem rem accuratius consideramus, ROSENSTEINIO aliisque, qui mox accessione cessante & quidem circiter semi hora post eam vomitoria porrigunt, assensum denegare non possumus, quippe tunc materia febrilis, quae per vasa interna aequae ac externa peripherica excreta fuit, in cavitare ventriculi ac intestinorum nunc collecta, si non mox e corpore eiiciatur, denuo resorbetur; nouusque fomes futurum paroxysmum excitandi facultate praeditus aderit. In omnibus itaque febribus intermittentibus, praecipue autumnalibus, quae biliosis sordibus generantur, mire profunt vomitoria. Non solum autem euacuatione materiae, sed etiam concussionem, quam excitant, corporis, ac viscerum imprimis abdominalium egregios effectus praestant. Eam ob rationem quoque in quartanis maxime commendantur. Potu calido parca quantitate assumto, vires eorum adiuuantur, nimio infringuntur. Aliis vomitoriis ipecacuanha praefenda est, quae non solum euacuantis, sed Cel. WICHMANNO docente febrifugi praecipui vices explet.

D

§. XXII.




## §. XXII.

Ne tamen semper in his solis acquiescendum, purgantiumque usum penitus excludendum esse, credamus. Dantur enim saepe casus, ubi ob intestinorum sordes, quarum praesentia ex borborygmis, tumore abdominis, doloribus dorſi, aluique faecibus valde foetentibus diiudicantur, purgantia adhiberi debent. Idem autem de purgantibus valet, quod antea de vomitoriis monitum fuit, quod nempe sordes mobiles solummodo utiliter euacuari possint. Quandoque autem in aegrotantibus tanta debilitas occurrit, ut, licet febris maxime vehemens sit, atque sordes turgentes purgantia indicent, ab eorum usu solo tamen abstinere medicum oporteat. Rebus sic stantibus, cum roborantibus, cortice nempe, optime combinantur, & si debilitas nimia est, tunc cortice peruiano prius infringi debet febris, quam purgantia porriguntur. Si magnus calor, fitis, ac vrina valde rubicunda adsunt, ita ut febris intermittens ad indolem continuarum proxime accedat, tunc purgantia antiphlogistica, tamarindinata, cremor tartari &c. conducunt.

## §. XXIII.


Alia quaestio soluenda occurrit, an nempe venaeſectio in febribus intermittibus utiliter institui possit nec ne? Quidam illam penitus damnandam esse, alii certis sub conditionibus adhibendam esse censent. Ratio tamen & experientia suadent, in plerisque febribus intermittibus venaeſectionem noxiam esse. Sanguinis



guinis enim missio semper debilitat, viresque labefactat. Facile inde patet, in febribus intermittentibus, a sordibus productis, in quibus porro natura, uti saepius in quartanis protractis observatur, morbo succumbit, remedium hoc debilitans, sana cum ratione commendari non posse. Ast illam penitus reformidare absolum esset. Observantur enim quandoque intermittentes vernaes, robusta ac corpora plethorica corripietes, quaeque frigore minimo, calore autem vehementi, siti maxima, deliriis, nec non pulsu in apyrexia, a naturali, & illo intermittentibus hoc in statu familiari maxime recedente, ab aliis febribus intermittentibus distinguuntur. In his, cum inflammatoriam indolem prodant, venaesectioem cum utilitate administrari posse, nemo denegabit, cuius beneficio saepius morbi genium ad illum intermittentium magis accedere, omniaque mala antea metuenda feliciter tolli, experientia satis confirmatum fuit.

§. XXIV.

Alter curationis cardo in eo versatur, ut character iste febrilis extinguatur. Cui indicationi ut satisfiat, roborantia, & cortex peruvianus apprime conveniunt. Ab initio quidem, quo summum hoc remedium in febrifugorum classem translatum fuit, multi fuerunt, qui cane peius & angue istud fugiendum esse strenue asseuerabant, & hodie adhuc medici dantur, qui usum eius reformidant. Haud dissimulandum est,



corticem quandoque prava arte vsurpatum valde noxios praestitisse effectus. Ast ista incongrua applicatio, an remedii vires infamat? eo modo certissime multa medicamenta, quae vnanimi consensu optimis annumerantur, e remediorum classe reiicienda essent.

§. XXV.


Omnia itaque vsum eius spectantia, eo redeunt, vt iusto tempore, ac debitis sub cautelis adhibeatur. Si febres cum inflammatoriis symptomatibus iunctae sunt, ista ante omnia profigari debent, quam cortex detur. Simili modo in intermittentibus, si fordibus imprimis biliosis originem debent, non nisi illis euacuat, febris vi corticis abigenda est. Si ante tempus vsurpatur, multa mala, obstruiones viscerum abdominalium, hydrops &c. presso pede sequuntur. In febribus autumnalibus, ex obstruccionibus hepatis saepius progenitis, istis per resoluentia prius sublatis commendari potest.

§. XXVI.

Fatendum tamen est, tempus, quo cortex adhiberi debeat, non semper adeo accurate determinari posse, vt exercitatissimi atque sagacissimi medici non quandoque fallantur. Obseruationes enim exstant, quod corticis vsum caute adhibitum, symptomata quaedam secuta fuerint, quae istius vltiorem propinationem penitus interdixerunt. Sic post exhibitum illum icterus leuis obseruatus fuit, & tunc continuo ab isto ab-

fi-






stinendum, ac ad resoluentia & euacuantia confugiendum esse, ratio suadet. Quandoque autem euenit, vt recensitis remediis praemissis, secunda vice cortex adhibitus iterum icterum reuocet, denuo euacuantibus profligandum, hocque repetitis vicibus modo nunc enarrato contingere potest. Quodsi vero aegroti debilitas vsu euacuantium increfcens his valedicere medicum cogat, optime tunc cortex salibus mediis iungitur, qua mixtione per aliquod temporis interuallum vsurpata experientia teste, hoc commodum comparatur, vt febris tollatur, atque postea aegrotus cortice solo sine periculo noui insultus icterici, vti possit.

§. XXVII.

Cum autem febres intermittentes, praecipue causis occasionalibus haud sedulo vitatis, facile reuertantur, hinc corticis vsui, si febris semel sublata fuerit, ad tempus adhuc insistendum est. Tam diu autem aegrotis exhibendus est, vsque dum color sanus appetitusque redeant, reliquaeque functiones ad statum naturalem proxime accedant. Imprimis illi dies attentionem merentur, quibus intermittentes regredi solent. Observationes autem testantur, eum regressum in tertianis decimo quarto, in quartanis & quotidianis vigesimo primo die contingere. Antequam isti dies ineidunt, probe ad recidivas praecauendas, corticis quaedam doses porrigi debent. Eaedem cautelae locum habent, si tempestas humida regnat, quae vti antea



tea monitum fuit, febres intermittentes facile producere potest.

§. XXVIII.


Cortex peruuianus diuerso modo in his febribus praescribitur, & non solum interne sed externe quoque vsurpatur. Interne forma pulueris, vel uti dicunt in substantia optime febres profligare dicitur, licet decoctum eius a quibusdam quoque propinetur. Externe vel enematibus miscetur, vel etiam subuculis insuitur, nec non forma pultis illis regionibus, in quibus maxima resorptio contingit, ut axillis vel regioni inguinali applicatus, febres sanauit. Dosis in qua praescribi debet, diuersis febrium intermittentium speciebus vario modo accommodanda est, ita ut tempore apyrexiae, in quotidiana eius drachmae sex porrigantur, in tertiana vncia vna, in quartana vncia vna & dimidia consumantur.

§. XXIX.

Quodsi diarrhoea durante corticis vsu accedens, febris curationem impedit, tunc opiatis illam compescere oportet, nam alias morbus nunquam tollitur. Subinde etiam obstructions alui china producit, quo casu, illa, cum rhabarbaro ea dosi adhibito, ut non purget, porrigi debet.

§. XXX.

Quae cum ita se habeant, cortex semper in febribus intermittentibus debellandis, nec non caractere febrili delendo, & recidiuis auertendis, optimum iudicatur medicamentum, aliis  
 praec-




praefendum. Nam multa adhuc ab auctoribus febrifuga commendantur, vt cortex cascarillae, salicis, gentiana, flores chamomillae, &c. Non negari potest, quandoque intermittentes his remediis sanatas fuisse. At experientia quoque docet, febres intermittentes dari, quae nequam his adhibitis remoueri potuerunt, & non nisi cortice auxilio vocato sublatae fuerunt. Agnoscenda itaque in eo est vis specifica, quae quidem materiem febrilem non corrigit, vt quidam asserunt, nam alias illo, praesente adhuc materia peccante, incongrue adhibito, morbi inde antea memorati non progignerentur, sed characterem istum febrilem solummodo aufert.

§. XXXI.

Superfunt adhuc quaedam remedia, quae a medicis in his morbis summis extolluntur laudibus. His annumerantur, regulus antimonii medicinalis, & mercurius, qui, vt experientia edocuit, quartanas maxime rebelles, cortice non sanatas, feliciter sustulerunt. Pari ratione opium a quibusdam commendatur, quod ad primum istud intermittendum stadium, frigus nempe aueruncandum, conducit. In minori quoque quantitate praescriptum, corticis postea dati vires augere dicitur. Alia adhuc commemorari possent, vt compositum illud Senaci ex puluere cornachino, agarico, sale ammoniaco & cortice peruuiano, in electuarii formam cum syrupo quodam redactum, caffearum tostarum decoctum cum succo citri mixtum, & apyrexiae tempore ieiuno ventriculo exhibitum, & quae sunt reliqua. Sed limites praescriptos transgredi non licet. Ab Arsenici vsu vt veneni damnandi recte abstinemus.

§. XXXII.

Quod ad diaetam in intermittentibus obseruandam pertinet, medici quodammodo dissentiunt. Victus animalis quidem in genere commendari nequit, & praecipue ab illo abstinere oportet aegrotum, si sordes biliosae adhuc adsunt. Sub quibusdam autem




tem conditionibus concedi potest, imprimis tunc temporis, si fordes euacuatae fuerint, & morbus per longum iam temporis interuallum durauit. Victus autem vegetabilis a PRINGLIO penitus reiiicitur. Non nimis stricte autem his inhaerendum, sed conditioni atque naturae aegroti accommodandum esse regimen, experientia suadet. Eadem etiam docuit, quandoque illa, quae noxia credebantur, ab aegrotante, instinctu quasi naturae assumpta fuisse, maximo cum emolamento sanitatis.

§. XXXII.

Curatio adhuc febrium malignarum & complicatarum a nobis consideranda restat. In febribus malignis supra descriptis, vt apoplectica, soporosa febre &c. eius praecipue rationem habeat medicus, vt symptomata ista maxime periculosa, quam ocissime tollantur. Quodsi in aegroti, post primam talem accessionem, euacuantia adhuc necessaria iudicantur, ea hac, quid quod secundo paroxysmo deferuescente adhuc conueniunt; tunc autem mox illorum effectu cessante, cortex peruuianus, vt medicamentum summe specificum hic propinandus est, ne tertius paroxysmus, plerumque aegrotantem occidens, ingruat. Durante paroxysmo vesicatoria applicata, WERLHOFIO docente, proficua sunt. Sanguinis missio etiam, si indicatio iubet, institui debet. Sublatis autem symptomatibus hisce malignis, fordes adhuc in primis viis obuiaae, methodo antea dicta, eliminandae sunt. Ratione febrium complicatarum genius morbi cum intermittente febre coniunctus, probe considerari debet. Si dolor pleuriticus, rheumaticusue cum intermittente complicetur, & signa inflammationis certo gradu adsunt, venaesectio & medicamenta antiphlogistica utilia sunt. Illis autem efficacia remediorum horum feliciter sublatis, cortex optimo nunc iure adhibetur.

T A N T V M.




tem cor  
fordes e  
interuall  
tus reit  
ditioni a  
perientia  
xia cred  
fuisse, t

Cu  
nobis c  
vt apop  
beat m  
fine tol  
nem, et  
secundo  
mox ille  
tum sur  
smus, p  
xyfmo v  
Sanguin  
tis aute  
viis ob  
brium  
coniunc  
maticus  
nis cert  
fic

tunc temporis, si  
gum iam temporis  
a PRINGLIO peni-  
aerendum, sed con-  
a esse regimen, ex-  
oque illa, quae no-  
afi naturae assumta

complicatarum a  
nis supra descriptis,  
cipue rationem ha-  
riculosa, quam ocif-  
nam talem accessio-  
ea hac, quid quod  
eniunt; tunc autem  
us, vt medicamen-  
ne tertius paroxy-  
uat. Durante paro-  
ente, proficua sunt.  
stitui debet. Subla-  
les adhuc in primis  
e sunt. Ratione fe-  
intermittente febre  
r pleuriticus, rheu-  
signa inflammatio-  
ramenta antiphlogi-  
mediorum ho-  
nunc iure



Centimetres  
Inches  
Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007